

692. III, 5-11 — Carta de Aleixo Lampacino a D. João III, na qual lhe pedia que favorecesse Carlos Strozi de modo a ele poder cobrar a herança de seu irmão, Pedro Strozi, que tinha morrido na Índia. 1525, Abril, 12. — *Pergaminho. Bom estado. Selo pendente de chumbo.*

Serenissime rex ac benefactor noster singularissime.

Non semel experti sumus quanta uti consueverit benignitate Majestas Vestra Serenissima in cives omnes nostros et in eos praesertim qui fuerint a nobis quandoque commendati. Quam quidem ob rem maiore quadam spe fideque Carolum Strozam Andreae filium civem nostrum dilectissimum nunc quoque Serenissime Majestati Vestrae commendamus dignus nobis visus est vel ob familiae splendorem vel ob avita in rempublicam nostram merita ipsius que virtutes qui nostris his literis commendetur nec illius indigna causa quae ab aequissimo omnium rege suscipiantur et protegatur obiit apud indos proximo triennio Petrus Stroza civis et mercator noster hujus vero Caroli germanus frater remque satis amplam et hereditatem (ut plerique retulere) non contemnendam reliquit quae nisi aliter testamento cautum sit videtur huic Carolo hereditario jure pertinere. Eam ut beneficio Clementissimae Majestatis Vestrae consequatur

isthuc usque se confert et nostris his redditis litteris quid ab ea impetrare cupiat coram supplicabit. Nos igitur non causam non hominem pluribus verbis commendabimus freti aequitate ac justitia Majestatis Vestrae Serenissime et solita in florentinos omnes sui nominis devotissimos benevolentia testabimur tantum esse Carolum hunc nobilissima apud nos familia et ingenuis ortum parentibus quique summis et amplissimis in orbe nostra magistratibus longo tempore functi sint esse etiam illius Petri jam pridem defuncti germanum fratrem et ab intestato heredem unicum atque uni huic hereditatem hanc totam pertinere. Precabimur quoque ne rem protrahi in longum patiatur sed eum in rebus suis tueri non dedignetur. Quicquid vero beneficij Majestas Vestra Munificentissima in eum contulerit in nos aequae collatum arbitrabimur et inter alia ejus beneficia communerabimus perpetuoque debebimus.

Bene ac feliciter valeat Majestas Vestra Serenissima cui nos et cives nostros humiliter commendamus.

Ex palatio nostro die xij Aprilis M.D.XXV.

Excellentissimae Vestrae Majestatis Serenissimae.

Filij devotissimi priores libertatis et vexilli fer justitiae populi florentini.

Alexius Lampacino

(B. R.)